



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Sitis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Sedenim, cum Porphyrius dicat libro *De abstinentia carniū*, colorem nigrum Soli dedicatum: quod ejus calore humana etiam corpora fusciora nigrioraq; reddantur, sitque Corvus inter Aves maxime niger, manifesta est causa cur is Apollini sacer habeatur. Porro Brachmanæ colorem atrum in primis venerantur, propter Solem omnia denigrantem. Jam & Salomon non egregie nigram ostentans Canticorum Cantico, *Crines, ait, ejus ut abietes, nigri sicut Corvi*. Avem autem eam Apollini prius familiarem fuisse, neq; non insigni candore præditam Apollinis mox indignatione, quod ad se dilectæ Coronidis crimen detulisset, in eam nigritiam demutatam fabularum scriptores, Hæsiodum secuti, meminere. Sed Artemo Pindarum commendat, qui, in Pythiis, dissimulata quæ de Corvo fertur hystoria, Apollinem ipsum scripserit per se Ischyos & Coronidis futurum deprehendisse. Anaximander in Horoscopicis libris Apollini sacrum ideo Corvum facit, quod solus inter omnes aves vocum significationes, quas accurate admodum augures observarint, habeat. Addam & illud, nigrorem ita Corvo ingentum esse, ut ad intingendum capillum, nihil ejus ovo dicatur efficacius, & nisi inter tingendum oreolum contineatur, dentes quoque ita nigros effici, ut mox vix possint elui.

## SITIS. CAP. XXXIV

Hinc pro-  
ver. Corvus  
aquat. Ex  
Hippio, &  
Aeliano l. 7.  
de nat. ani-  
mal

**C**ORVUM superius siti damnatum ab Apolline dicebamus, ideoque hieroglyphicum esse incommodi, ejusmodi, eaque de causa Nicandrum scripsisse, frequentiores ejus alitis crocitatatus venturæ pluvie indicium esse. Sedenim, Corvi natura ipsa stitulosi sunt per sexagenos præcipue ætatis dies, quibus ventris profluvio laborant, ultroque potu abstinent, ut incommodo illi obviam eant, alvumque sistant. Quare si consilium ejus animalis pensitemus, Sobrietatem convenientius quam sitim, hanc vocabimus.

## IMPOSTURA. CAP. XXXV.



Idem &  
Plin. lib. 10.  
cap. 43.

**N**ON possum loco hoc dissimulare, quam apte quispiam impostorem per Corvum ore saxum tenentem, & urnam appositam, significarit. In Libya siquidem stitulosam admodum regione, vix aquam, quam de remotis admodum fontibus aut fluviis attulerint, in fictilia vasa ad hoc comparata distribuunt: quæ alioquin ventre sunt admodum capaci, ore tantum patent quantum satis ad gallinaceum ovum recipiendum, eaque minus obturata, ad captandum nocturni aeris beneficium, per summa domorum tecta disponunt. Corvi rem intelligentes non data alterius aquæ copia eo convolant, immisissisque in urnas capitibus humorem forbillant, qui simulac deficere cœperit, lapillos conquirunt (quod Plutarchus se vidisse affirmat) quos afferentes in aquam subinde dejiciunt, atque ita surgente in dies humore, siti consulunt suæ. Idem scribit de Cane, qui lapillos in amphoram oleariam conjiciebat, donec oleo redundante lambere arbitrio posset suo. Dicit aliquis, Philosophum hinc, aut Geometram significari potius, quam sycophantam: quia rerum plenitudinem, mutuoque corporum inter se repugnantiam, atque cessionem cognoscant, natura ipsa docente, & Corvus, & Canis, & qui majora etiam de intellectu suo miracula profitentur: in hoc autem probe norunt necesse futurum, ut in corporum conspectu alterum alteri cedat: eam quippe intelligant rationem, quæ coronæ illius sacoma deprehenderit Archimedes, quam Hieron Syracusarum rex faciendum locaverat, de quo latè apud Vitruvium. Ego vero ipsa edoctus re, impostorem potius ostendi ex hujusmodi hieroglyphico dixerim. Fuit siquidem mihi Romæ famulus natione Gallus, patria, ut ipse aiebat, Virdunensis. Rolandinus ille, quem probe noveras Coloti, facetulum, & morionem non sane illepidum, & cum primis officii memorem sui, cujus opera utebar plurimum in scribendo. Allatus ad me Venetis fuerat vini Cretici cadus generosi admodum atque sua viffimi. Jussi, uti mos est talia non credere famulis, diligentius asservari, amicis advenientibus, potius quam mihi usui futurum, interdum tamen unciatim minimum quid hauriebatur, intermovebat subinde famulus nequiar (sic